

negare mediat silere, et tacere, ac se ipso stare potest, quin insit confiteri, aut negare; justus est regulæ sensus: qui ad interrogationem alterius tacet, nec fatetur, nec negat.

4. Tacens interrogatus a non judice nec fateri, nec negat. — Declaratur exemplis: sic v. g. in casu, quo quis extra judicium, vel etiam in judicio a non judice interrogatur, an non hunc vel illum percusserit: an non hoc vel illud abstulerit: hunc vel illum verbali injuria astecet: an nor. mutuas pecunias mille florenorum a se acceperit, sive debeat: si tacet, nec fateri, nec negare censetur, arg. I. *Si filius*, 19, ff. de *Interrog. in jure faciend.* et ratio præter jam dictam est; quia respondere non tenetur. Et profecto misera foret hominum conditio, si quis cuius interroganti affirmando, vel negando positive respondere teneretur; cum sæpius intersit tacere, et nihil respondere, sive medium inter negationem et confessionem tenere.

5. Quare tacens censeatur consentire, et non fateri? — Cur autem tacens præsumatur consentire, et non confiteri, in ratione alleganda divisi sunt doctores: melior videtur, quam assignat Barb. hic. n. 9, videlicet, quia consensus est actus voluntatis eligentis et quiescentis, qui actus adesse merito præsumitur, dum quis contradicere facile posset, et non facit per dicta in præcedenti regula: confessio vero consistit in assertione veri aut falsi, quorum nullum asserit, qui tacet.

6. Legitime interrogatus a judice tacens habetur pro confessu. — Quæritur II. An et quas fallentias patiatur regula præsens? Resp. eam fallere primo universaliter, quoties quis in judicio a judice legitime interrogatur: sic enim interrogatus, qui tacet, pro confessu habetur, vel etiam in sui damnum pro negante, l. *de Æstate*, 11, § 4, de *Interrog. in jure faciend.* ibi: « Qui tacuit apud prætorem, in ea causa est, ut instituta actione in solidum conveniatur, quasi negavit, se haeredem esse. » Ratio est, tum quia hoc ipso, quod legitime interrogatus, et respondere obligatus taceat, justam præsumendi causam præbet, veritatem contra se stare, sive eam tacite fateri velle: tum quia a judice legitime interrogatus, respondere omittens contumax reputatur, ac propriea in poenam contra se confessus in effectu habetur, cit. l. *De Æstate*, 11, § 4, ibi: « Nam qui omnino non respondet, contumax est: contumaciam

antem poenam hanc ferre debet, ut in solidum conveniatur, et quia prætorem contemnere videtur. »

7. Sicut et ille, qui ad articulos non respondet. — Fallit secundo in quovis illo, qui in judicio ad positiores, seu articulos ab adversario propositos, et a judice approbatos respondere jussus taceat, vel sine causa respondere recusat; quia etiam talis confiteri censetur, et pro confessu habetur, c. 2, de *Confess.*, in 6, ibi: « Si reus, vel procurator ipsius positionibus ab adversario sibi factis interrogatus, jussusque a judice respondere absque rationabili causa recuset, aut nolit, seu contumaciter se absentet, haberi dehet super iis, de quibus in eisdem positionibus interrogatus extitit, pro confessu. » Ratio est, quæ in priori fallentia.

8. Qui duobus sibi propositis ad unum respondet, et ad alterum taceat, hoc fateri censetur. — Fallit tertio, quando alicui in judicio obiciuntur duo, et is unum negat, vel in eo se excusat, ad alterum vero taceat, censetur enim hoc tacite fateri, c. Nonne, 5, de *Præsumpt.*, ibi summarium sic habet: « Qui ex duobus illatis alterum negavit, reliquum affirmare præsumitur; » textus vero sic sonat: « Duobus quippe illata fuerunt ei: unum negavit, alterum tacendo concessit. »

REGULA XLV.

INSPICIMUS IN OBSCURIS, QUOD EST VERISIMILIUS, VEL QUOD PLERUMQUE FIERI CONSUEVIT.

1. Regula unde? — Desumpta habetur hæc regula ex l. *In obscuris*, 114, ff. de *Reg. jur.*, ibi: « In obscuris inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet. »

2. Obscurum, verisimilius, et plerumque, quid? — Quæritur. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Quid per verba, *In obscuris*, dicere velit regula, satis patet ex dictis ad regulam 30. « In obscuris minimum est sequendum. » n. 2 et 3, ubi videndum, Per verisimilius autem intelligitur id, quod prudenter consideratis considerandis, circumstantiis, et aliis ad genuinam veritatem servientibus, veritati magis consentaneum appareat. Per plerumque vero id denotatur, quod in ejusmodi, de quibus quæritur, actibus, negotiis, contractibus, dispositionibus communiter et ordinarie fieri solet, ac in regione fieri consuevit. Hinc

3. Ponitur verus sensus regule. Verisi-

REGULA XLV. INSPICIMUS IN OBSCURIS, QUOD EST VERISIMILIUS, ETC. 107

militudo pro veritate habetur. — Resp. II. Verus regulæ sensus hic est: « Quandocunque vera intentio, mens et voluntas statuentes, agentis, contrahentis, disponentis, etc., aliunde certo vel sufficienter non apparet, illud sequendum, judicandum, et tenendum est, quod prudenter, et æquo animo consideratis considerandis ad cognoscendam veritatem servientibus circumstantiis, veritati magis consentaneum, seu conforme apparat: » vel « quod in hujusmodi, de quibus quæritur, actibus, negotiis, aut dispositiobibus communiter et ordinarie fieri solet, ac in Regione fieri consuevit. » arg. I. *Semper in stipulationibus*, 34, ff. de *Reg. jur.* cuius textum allegavimus in regula 30, n. 3, cum concordant. Ratio regulae quoad primam partem, de sequendo verisimili, est quia verisimilia quasi pro veritate habentur. Arg. I. *Cum quid*, 3, ff. de *Rebus creditis, si certum petatur*, adeo ut idem reputetur, veritatem pro se habere, et præsumptionem in verisimili fundatam pro se habere, ut post Jason bene advertit Strein hic, n. 2, arg. I. *Licet imperator*, 74, ff. de *Legat.* I, et verisimilitudo onus probandi nonnunquam in adversarium rejicit arg. I. *Sive possidetis*, 16. C. de *Probation.*, ac non nisi validioribus probationibus elidi valeat, l. *Non est verisimile*. fin. ff. *Quod metus caus.*

4. De ordinarie contingentibus sunt leges. — Secundæ vero partis, videlicet, quod deficiente verisimili id attendatur, quod plerumque seu communiter et ordinarie fieri solet, ratio hæc est; quia sicut legislatores non de iis, quæ raro, sed quæ frequenter contingunt, leges et jura condunt. l. *Ex his*, 4, et l. *Nam ad ea*, 5, ff. de *Legib.* ibi: « Nam ad ea potius debet aptari jus, quæ et frequenter et facile, quam quæ perraro eveniunt. » Sic etiam intentio et mens privatim disponentium et contrahentium in defectu alterius certitudinis juxta communiter et ordinarie fieri solita præsumi, et colligi debet. Arg. I. *Certi conditio*, 9, § 8, ff. de *Reb. credit.* præsertim in regione, in qua versamur, l. *Semper*, 34, ff. de *Reg. jur.* ibi: « Si non apparet, quid actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. »

5. Ordo procedendi in obscuris. — Ut proin circa obscura sequens procedendi, præsumendi et sequendi ordo sit: et quidem primo videndum, an non aliunde rei veritas, et quod actum est, appareat: hoc enim vere

cognitum omnino sequi, et tenere oportet; quia justum et æquum est, ut contrahentium voluntates et pacta custodiantur c. 1, de *Pactis*. ibi: « Aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus (si se non cohibuerit) ecclesiasticam sentiat disciplinam. Dixerunt universi: Pax servetur, pacta custodiantur, » et l. *Semper*, 34, ff. de *Reg. jur.* ibi: « Semper in stipulationibus, et in cæteris contractibus id sequimur, quod actu est. » Secundo, si de hoc certo vel sufficienter non constat, id præsumendum, sequendum, et tenendum, quod prudenter consideratis considerandis verisimilius apparat juxta tenorem hujus regulae. Tertio, si verisimilius non apparet, id inspiciendum, et sequendum est, quod plerumque, seu communiter, et ordinarie fieri solet, juxta præscriptum præsentis regulae, præsertim in regione, in qua res acta est, cit. l. *Semper*, per textum n. præced. jam allegatum. Quarto, si neque hoc haberi potest, minimum sequendum, et tenendum est cit. l. *Semper* ibi: « Quid ergo, si neque regionis mos apparet, quia varius fuit? Ad id, quod minimum est, redigenda summa est, » et regula 30, de *Reg. jur.* in 6, ibi: « In obscuris minimum est sequendum, » cum in hoc partes certa convenient, et errandi periculum magis declinetur juxta dicta superius ad hanc regulam, n. 4.

6. Declaratur regula exemplis juris. — Declaratur etiam et firmatur ulterius regula, sensusque illius exemplis juris: Sic enim primo, ut exemplificat Gloss. hic. si maritus cum prius corrupta diu cohabitat, et postea mulier ex causa impotentiae viri divortium petat, vir autem potentem se asserat, viro creditur, nisi impotentia manifesta sit, textu claro can. *Si quis*, 3, cau. 33, q. 1. Quia verisimilius est, virum non defuisse suo officio.

7. Substitutio facta filio evanescit, si hic liberos procreat. — Sic pariter secundo, si quis proprium filium instituit heredem, eique substituit Caium, præsumitar substitutio facta sub conditione: si filius meus sine liberis decesserit, l. *Cum avus*, 102, ff. de *Condit. et demonst.* Cur nec verisimile, nec usu receptum sit, quod quis intendat filio aliquem substituere, si filius ipse liberos progenerat, l. *Generaliter*, 6, §. *Cum autem C. de Instit. et substit.* ibi: « Cum autem invenimus excelsi ingenii Papinianum in hujusmodi casu, in quo pater filii suis sub-

tuit, nulla liberorum ex his procreandorum adjectione habita, optimo intellectu dispositusse, evanescere substitutionem, si is, qui substitutione prægravatus est, pater efficiatur, et liberos sustulerit; intelligentem, non esse verisimile, patrem, si de nepotibus cogitaverit, talem fecisse substitutionem. »

8. *Mulier metu mortis monasterium ingressa non censemur ibi tacite professa, quandiu causa metus durat.* — Sic tertio, si mulier metu mortis a viro inferendæ ad monasterium fugit, ibique quandiu causa durat, permanet, tacite professa non censetur; quia verisimile est, eam perseverasse in monasterio ex eadem causa, ex qua fuit ingressa, consequenter causa cessante, mortuo nempe viro, egredi, et alteri nubere posse, textu expresso c. 1, *De his, quæ vi, met. caus.*

9. *Solvitur objectio contra regulam.* — Objici contra regulam communiter solet. In judiciis probatio necessario concludere debet, nec sufficit ostendere, rem sic esse posse, sed necesse est, probare, eam revera sic esse, arg. 1. *Matrem.* 17, C. *de Probat.* cum concord. ergo verisimilitudo ad rem nihil facit. Sed resp. probationem concludentem necessariam esse tunc, quando haberit potest: secus esse, si haberit nequit; in tali enim casu ad præsumptionem, præsertim in verisimilitudine fundatam, ex utroque jure in subsidium datur recursus. Hinc, prout supra de regula 30, dictum, ita et de præsenti dicitur, quod sit subsidiaria.

REGULA XLVI.

IS, QUI IN JUS SUCCESTIT ALTERIUS, EO JURE, QUO ILLE, UTI DEBEBIT.

1. *Regula unde?* — Desumpta habetur hæc regula ex l. *Qui in jus.* 177, ff. *de Reg. jur.* ibi: « Qui in jus, et dominium alterius succedit, jure ejus uti debet. » Cui concordat regula 79, *de Reg. jur.* in 6, ibi: « Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur. »

2. *Successor alius est universalis: alius particularis: et quis?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Ante responcionem notandum cum Dyno et Strein hic n. 1, duplum esse et dici Successorem: in jus alterius, universalem videlicet, et particularem, seu, quod idem est, singularem. Universalis est, qui in

universum, seu in totum jus alterius succedit, ejusque personam repræsentat, uti sunt hæres, bonorum possessor, et ex Trebellianica possessor, fideicommissarius, qui etiam proprie successores vocantur, quia in jus universum defuncti succedunt l. *Quoties,* 9, § 12, ff. *de Hæred.* instit. l. *Prætor.* 117, ff. *de Reg. jur.* ibi: « Prætor bonorum possessorum hæredis loco in omni causa habet, » l. *In pari.* 128, ff. eod. « Hi, qui in universum jus succedunt, hæredis loco habentur, » juncta l. *Nihil.* 24, ff. *de V. S.* ibi: *Nihil* est aliud hæreditas, quam successio in universum jus, quod defunctus habuit. » Successor particularis, seu singularis est, qui non in totum jus, sed in certam aliquam rem, vel jus alterius succedit, uti sunt legatarii, donatarii, emptores, etc., qui proprie successores in rem appellantur, l. *Quædam.* 9, § 1s autem, ff. *de Edendo,* et l. *Etiam,* 8, ff. *de Jurejur.* ibi: « Etiam si rem successerint, » cum concord. Hoc notato.

3. *Successor universalis, præsertim hæres, active et passive succedit in omne jus defuncti.* — Resp I. Regula de successore universalitatem active, quam passive intelligenda est: active quidem, quia omne jus agendi, excipiendi, fruendi, etc., tam reale, quam personale, etiam mixtum, et in rem scriptum, quod prius competit defuncto, competit postea hæredi; passive vero, quia jus agendi, excipiendi, etc., quod alicui competit contra defunctum, competit eidem etiam contra hæredem ipsius. Dynus hic cum communi aliorum, arg. pr. *Insti.* *de perpet.* et temp. Ratio est, tum quia defunctus, et hæres ipsius, fictione juris pro una eademque persona habentur. *Novell.* 48, pr. ibi: « Cum utique nostris videtur legibus, unam quodammodo esse personam hæredis, et ejus, qui in eum transmisit hæreditatem; » consequenter jus, quod uni active vel passive competit, etiam alteri competere debet; cum non debeat una eademque res, vel persona diverso jure censeri c. *Cum in tua,* 30, *de Decimis;* tum quia nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur, c. *Nemo,* 79, *de Reg. jur.* in 6, consequenter, si defunctus jus exceptionis habuit, exceptionem etiam hæres pati debet; si fundum servitute affectum transtulit, servitute eadem etiam apud hæredem fundus manebit affectus.

4. *Etiam hæres particularis succedit taliter quoad partem, cuius est hæres.* — Quæ cuncta

REGULA XLVI. IS, QUI IN JUS SUCCESTIT ALTERIUS, EO JURE, ETC. 109

intellige non tantum de hærede universalis, sive ex asse, sed etiam de hære de ex parte tantum, quia quod juris, in toto, idem etiam in qualibet parte illius est l. *Quæ tota,* 76, ff. *de rei vindicat.* ibi: « Quæ de tota re vindicanda dicta sunt, eadem et de parte intelligenda sunt, » ut proin sicut hæres ex asse ex toto, sic hæres ex parte, pro ea parte in qua hæres est, personam defuncti repræsentet, jure illius active et passive fruatur, et utatur licet in partibus reliquis, pro extraneo habeatur, l. *Si adulta,* 6, *de Hæredit. act.*

5. *Successoribus universalibus æquiparentur etiam prælati ecclesiastici qui proin debent solvere debita defuncti nomine Ecclesiae facta.* — Successoribus universalibus æquiparantur etiam prælati ecclesiasticitatem sacerdotes quam regulares; cum etiam ad hos tanquam legitimos successores, ab antecessoribus jus agendi, et excipiendi active ac passive, nomine Ecclesiae, vel monasterii, transeat; ut proin successor pacta antecessoris, nomine Ecclesiae inita, servare teneatur can. *Eleutherius,* 30, caus. 18, q. 2, et gesta ab ipso rata habere, c. *Quoniam,* 14, *de Offic. deleg.* ac debita ab eodem contracta solvere, c. 1, *de Solut.* ibi: « Sicut filius debita patris solvere tenetur, ita prælatus sui prædecessoris pro Ecclesiae necessitate contracta. » Hæc tam, quoad prælatos, intellige de illis gestis et pactis, quæ nomine Ecclesiae, et alias legitime sunt facta: privatas siquidem obligaciones antecessoris prælati, vel alias illegitime factas successor præstare non tenetur, c. *Veniens,* 8, *Transact.* ubi summarium sic habet: « Transactio facta de rebus Ecclesiae per prælatum sine superioris consensu non obligat successorem. » Ratio subjungitur in textu illis verbis: « Cum inter personas facta potius, quam inter Ecclesias videatur; nec pacta inter alios acta aliis obesse patiamur. » Patetque amplius ex traditis l. I, tit. X, *de His, quæ a prælat. sine consensu capit.*, et lib. III, tit. XIII, *de rebus Eccles. alienand.*

6. *Successor etiam particularis succedit active et passive, quod prior dominus circa rem particulararem habuit.* — Porro successorem particularem, seu singularem quod attinet, de eo etiam regula intelligenda venit, ita, ut in hunc quoque, facta rei traditione, tota causa, idemque jus active et passive transeat, quod in eadem re prior dominus habuit, l. *Alienatio,* 67, ff. *de contrahend. empt.* ibi: « Alienatio cum fit, cum sua causa do-

minum ad alium transferimus, quæ esset futura, si apud nos ea res mansisset. Idque toto jure civili ita se habet, præterquam si aliquid nominatum sit constitutum. » Juncta l. *Traditio,* 20, ff. *de Acquirend. rer. domin.* ibi: « Quoties autem dominium transfertur ad eum, qui accipit, tale transfertur, quale fuit apud eum, qui tradit. Si servus fuit fundus, cum servitutibus transit: si liber, uti fuit. Et si forte servitutes debebantur fundo, qui traditus est, cum jure servitutum debitarum transfertur. »

7. *Excepta actione personali, quæ ad eum non transit: nec nocet ei mala fides prioris domini, bene vero successori universah.* — Ea tamen differentia inter universalem, et particularem successorem notanda est, quod actione personalis non transeat, ad successorem singularem sine cessione nec contra eum, l. *Quod sæpe,* 35, § 1s res. ff. *de contrah. empt.* ibi: « Qui alienam rem vendiderit, cum is nullam vindicationem, aut conditionem habere possit, ob id ipsum damnandus est; quia si suam rem vendidisset, potuisse eas actiones ad emptorem transferre, » et l. *Quædam,* 9, § 1s autem, ff. *de Edend.* cum concord. a Dyno citatis hic, n. 7. Hinc expediti juris est, quod legatario, donatario, emptori, tanquam successori singulari non noceat mala fides legantis, donantis, aut vendentis, quin prescribere valeat, l. *An vitium,* 5, ff. *de divers. tempor. præscript.* ibi: « An vitium, auctoris, donatoris, ejusque, qui mihi rem legavit, mihi noceat; si forte auctor meus justum initium possidendi non habuit, videndum est? Et puto, neque nocere, neque prodesse; nam denique et usucapere possum, quod auctor meus usucapere non potuit. » Dum e contra mala fides noceat successori universali, seu hæredi, ita, ut hic rem a defuncto mala fide possessam nullo modo prescribere valeat, prout cum communi aliorum late probavimus, lib. II, tit. XXVI, a n. 134. Item contra hæredem, hæreditario nomine conventum, etiam doli actio datur. Dynus hic, l. *Hæredibus,* 13, ff. *de Dolo,* ibi: « Item adversus hæredes de dolo actio erit danda. »

8. *Ponitur verus sensus regulæ?* — Resp. II. Verus sensus regulæ hic est: « Qui in alterius dominium, vel jus sive universale, sive particulare succedit, eodem jure, quod ille alter habuit, active et passive uti potest, et debet; seu, eodem jure, quo prior, in sui favorem gaudet, idemque, quod prior, con-

tra se sustinere debet. » Per jura et rationes jam allegatas. Solum addendum est, regulam non tantum de proximis, seu immediatis, sed etiam mediatis, et posterioribus hæreditibus, tanquam successoribus procedere. Strein *hic*, n. 3, et ratio est, quia etiam hæredis hæres appellatione hæreditis venit.

9. *Declaratur exemplis. Successor universalis v. g. hæres debet solvere omnia debita defuncti.* — Declaratur regula ulterius præter jam adducta adhuc aliis juris exemplis; et quidem præcipue, quod, sicut successor alterius, jure illius in sui favorem gaudet per dicta, sic jura contra illum, et exceptiones passive sustinere, ac reales obligationes ejusdem præstare debeat, si enim hæres tam necessarius, quam extraneus solvere tenetur omnia debita defuncti, sive ex vero, sive quasi contractu, sive aliunde contracta: sic etiam pœnas pecuniarias, ad quas defunctus damnatus fuit, solvere debet hæres, l. *Commissa*, 14, ff. de *Publican. et vectigal.*

10. *Idem debet facere successor in regno.* — Sic etiam successores in regno et principatu servare debent pacta et contractus antecessorum, arg. c. 4, de *Probati*. alias enim nemo esset, qui cum illis commercium habere vellet, quod in detrimentum ipsius boni publici redundaret; uti post Baldum in l. *Princeps*, ff. de *Legibus*, bene observat Strein *hic*, n. 4.

11. *Successor potest convenire vi rescripti contra antecessorem impetrati.* — Sic rursus successor potest conveniri vi rescripti contra antecessorem impetrati, arg. c. *Dilect.*, 17, de *Foro compet.*, et ibi conveniri potest et debet hæres, ubi convenientius erat defunctus, l. *Hæres absens*, 19, pr. ff. de *Judicis*, ibi: « Hæres absens ibi defendendus est, ubi defunctus, et convenientius. » Sic etiam laicus hæres clerici, lite cum defuncto jam contestata, coram judice ecclesiastico convenit, et e contra Strein *hic*, cum communis doctorum, arg. l. *Vendor*, 49, ff. eod. quorum ratio est, quia hæres cum defuncto fictione juris eadem censetur esse persona, novell., 48, pr.

12. *Defuncti jus ita inhæret hæredi, ut propter hoc subinde etiam aliunde sua perdere debeat.* — Porro defuncti jus active et passive ita hæredi adhæret, ut etiam impedit ea, quæ alias eidem aliunde competitunt; sic enim si mater bona paterna filii vendit, quamvis male agat, tamen si filius hæres matris esse velit, non potest sic vendita recuperare, dicendo; ego hæc vendita bona

repeto, non ut hæres matris, sed ut bona mea a patre mihi relicta, l. *Cum a matre*, 14, C. *De rei vindic.* Sic etiam, si filius rem aliquam, paterno testamento alienari prohibita tam extra familiam male vendat, non potest hujus vendentis hæres alienationem revocare, dicendo, se in re alienata fuisse substitutum, consequenter eam a defuncto non potuisse alienari, l. *Filius familias*, 114, § 15, ff. de *Legat.*, l. et l. *Vindicantem*, ff. de *Evict.*

13. *Mors omnia solvit; quomodo intelligendum?* — Objici primo, solet contra regulam: *Mors omnia solvit*, novell. 22, cap. xx, pr. Ergo jura non transeunt ad hæredem. Sed respond. hoc intelligendum esse de mere personalibus, talibus, quæ personæ ita sunt propria, ut alteri convenire nequeant, inde que cum ipsa pereant; qualia sunt vota mere personalia, quæ morte voventis omnia solvuntur, et extinguuntur, nec ad hæredes transeunt, uti cum communi aliorum diximus, lib. III, tit. XXXIV, *De voto et voti redempt.*, n. 4. Idem quoad criminis, et pœnam criminalem, ne ulterius progrediatur pœna, quam delicta, l. *Sancimus*, 22, C. *de Pœnis*, ibi: « Peccata igitur suos teneant autores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum,» nisi forsitan ex delicto defuncti aliquod commodum ad hæredem pervenerit; circa hoc enim etiam hæres tenetur et conveniri potest, l. *In hæredem*, 26, ff. *De dolo. Ne alieno scelere ditetur*, l. un. C. *Ex delictis defunct.* et l. *Quod diximus*, 16, § 2, ff. *Quod met. caus. gest.*, ibi: « Quod turpiter, vel scelere quesumum est, ad compendium hæreditis non debet pertinere. » Secus est de realibus juribus, quæ minime solvuntur morte, per dicta et probata hactenus.

14. *Donator potest revocare ex causa donationem, non item hæres illius: et quare?* — Objicitur secundo. Donator habet jus revocandi donationem ob ingratitudinem donatarii, quod tamen jus non competit hæredi, textu expresso, c. fin. de *Donat.*, ibi: « Propter ejus ingratitudinem, in quem liberalitas est collata, donatoris persona de rigore juris potuit eam revocare; si forte in ipsum impias manus injecerit, aut sibi atroces injurias, seu grave rerum suarum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumperit; quod tamen ad donatoris, qui hoc tacuit, non exenditur successores,» juncta l. fin. C. *De revocat. donat.* Resp. cum *Glossa* in cit. c. fin. l. *Etenim*, jus revocandi donationem ideo non

competere hæredi, qua donator facendo, et non revocando, sique moriendo præsumitur injuriam ingrato donatario remisisse, forsitan eo fine, ut ipse facilius veniam impetrat a Deo suorum peccatorum. Remittens autem jus suum nec ipse amplius illud revocare potest, multo minus hæres ipsius can. *Quam periculoso*, 8, eau. 7, q. 1, ibi: « Nec recipere id postmodum potuerit, quod semel cessit,» et l. *Quæritur*, 14, § 9, ff. de *Ædilit. Edict.*, ibi: « Remittentibus enim actiones suas non est regressus dandus. »

15. *Morito circa dotem majus jus competit, quam hæredi illius; quia est privilegium personale.* — Objicitur tertio. Marito illud privilegium competit, ne conveniatur de restituenda dote ultra id, quod commode potest, et tamen hæres illud totum restituere debet. l. *Maritum*, 12, ff. *Soluto matrim.*, ibi: « Maritum in id, quod facere potest, condemnari, exploratum est; sed hoc hæredi non esse præstandum;» ergo hæres non succedit in omne jus defuncti. Resp. hoc esse privilegium mere personale mariti qua talis, inde que sicut alia privilegia mere personalia cum persona extingui, l. *Quia tale*, 13, ff. *Soluto matrim.*, ibi: « Quia tale privilegium personale est, et cum persona extinguitur. »

16. *Fallit regula primo in mandato. Secundo, in contractu societatis. Tertio, in precario.* — Quæritur II. — An et quales fallentias habeat regula 46? Resp. Quamvis regula alias procedat in omnibus contractibus, tamen fallit primo, in mandato, l. *Qui negotia*, 34, § 4, ff. *Mandati secundo*, in contractu societatis, l. *Actione*, 65, § 9, ff. *pro Socio*, ibi: « Morte unius societas dissolvitur nec hæres socii succedit. » *Tertio*, in precario; licet enim precarium etiam ad hæredem illius, qui precario concessit, transit; tamen non transit ad hæredem illius, qui precario rogat, l. *Cum precario*, 12, § 4, ff. *de Precario*, ibi: « Precario rogatio, et ad hæredem ejus, qui concessit, transit; ad hæredem autem ejus, qui precario rogavit, non transit; quia ipsi duntaxat, non etiam hæredi, concessa possessio est. »

17. *Quarto, in donationibus inter virum et uxorem.* — Fallit quarto, in donationibus inter virum, et uxorem hæc enim a donationibus revocari possunt, non item ab hæreditibus ipsorum, sed confirmantur morte donantis, l. *Cum hic status*, 32, § 2, ff. *de Donation. inter virum et uxorem*; nisi donantem ante mortem pœniteat, et donationem revocet ta-

cite vel expresse, cit. l. *Cum hic status*, § 4, ibi: « Sed ubi semel donatorem penituit, etiam hæredi revocandi potestatem tribuimus, si appareat, defunctum evidenter evocasse voluntatem;» juncto c. fin. eod. ibi: « Quæ tamen penitus evanescit, si revocetur ab eo tacite vel expresse. » Quando autem tacite revocata censeatur donatio inter virum et mulierem, sufficienter declaratum habetur, lib. IV, tit. XX, *de Donation. inter virum et uxorem*, § 1, a. n. 21.

18. *Quinto, universaliter in omnibus priviliis personalibus.* — Fallit quinto et quidem universaliter in cunctis privilegiis mere personalibus, utpote quæ ad successionem nunquam transeunt, sed cum persona extinguntur, prout in simili jam diximus, supra n. 15. Quia universaliter juxta, l. *In omnibus*, 68, ff. *de Reg. jur.* « In omnibus causis id observatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficiat. » Concordat regula, 7, *de Reg. jur.* in 6. « Privilegium personale personam sequitur, et cum persona extinguitur. »

1. *Regula, unde?* — Hæc regula multum concordat cum regula 13, *de Reg. jur.* in 6. « Ignorantia facti, non juris excusat,» eamque ulterius declarat: et desumpta censetur ex iisdem legibus.

2. *Intelligenda est de sola ignorantia facti.* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Quamvis regula ista generaliter loquatur, tamen de sola ignorantia facti, non juris intelligenda venit, uti post Denum bene observat *Glossa* hic communiter recepta, quia eorum, quæ juris sunt, non ignorantia, sed scientia regulariter præsumitur, indeque ignorantia eorum non excusat, per dicta supra ad cit. reg. 13, *de Reg. jur.* in 6.

3. *Et quidem alieni.* — Immo non de quavis, sed de alieni duntaxat facti ignorantia intelligenda est; quia propria facta ignorare, nemo prudenter præsumitur, per dicta ad cit. reg. 13, ubi etiam declaratum habetur, quid sit ignorantia ut sic: et quid ignorantia juris et facti, proprii et alieni.

4. *Ponitur verus sensus regulæ?* — Resp. II.